

Handwritten text in the left margin, partially obscured and difficult to read.

Handwritten text at the top of the page, possibly a name or title.



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Handwritten symbols and text at the bottom right, including a square with a circle inside and the number '165-5'.



d. 4

ANNOTATIONES
IN IOHANNIS
STOSSELI MODVM AGENDI,
ET BREVIS CONFVTATIO
Calumniarum, quibus falso nomis
natam Apologiam suam
repleuit.

Per Theologum quendam in Saxo-
nia inferiori,

M. Ioach. Westphalum Ham-
burgensem.

PSAL: XCIIII.

Non derelinquet IEHOVA populum suum, & hære-
ditatem suam non derelinquet.

Nam tandem vsq; ad iustitiam, reuertetur iudicium, &
post illam omnes recti corde.

ISLEBII.

Excudebat Vrbanus Gubisius.

ANNO M. D. LXVI



AD PIVM LECTOREM.

QVVM IN MANVS NOSTRAS VENISSENT, HAB
præstantissimi, & de Ecclesia CHRISTI optimè meriti Theologi
D. IOACHIMI VVESTPHALI Hamburgensis, annota-
tiones, ac illas, non tam propter nostri defensionem, quam quod breuem
quidem, & admodum succinctam, sed grauißimam, & dexterrimam con-
trouersie de AGENDI MODO explicationem continent, atq;
eiusdem ueram scaturiginem monstrant, Ecclesie CHRISTI, & om-
nibus in ea pijs hominibus utilissimas, & gratissimas fore existimaremus:
autore prius non consulto, in lucem eas protulimus. In quo, si quid contra
uoluntatem ipsius factum, in nos, & quidem sine dolo malo, & omni
fraude, culpam recipimus. Maluimus enim in commodum Ecclesie tanti
Theologi lucernam diuinitus accensam super candelabrum, ut omnibus
luceat, collocare quam occultare. Hoc tamen amanter, & reuerenter pe-
tentes, ne molestum illi sit, animos illorum, qui confictis, & atrocissimis
STOSSELLII criminationibus grauißime sauciati, & offensi erant:
pio hoc labore, & testimonio uero, rursus sanari, ac erigi: Optamus &
Stosselium ipsum lectione talium scriptorum, & commonefactionibus
tantorum uirorum, DOMINO oculos ipsi aperiente, illuminari, ut
sine hypocrisi peccati sui magnitudinem uidere, & salutari conuersione
uere in uiam redire possit. Tu DOMINE sustenta gressus nostros,
in VIIS TVIS, ne declinent pedes nostri. Nos inuocauimus te, quo-
niam exaudisti nos DEVS. Inclina aurem tuam nobis, audi eloquium
nostrum. Mirifica pietates tuas Seruator sperantium, ab insurgentibus in
dexteram tuam, custodi nos, ut nigrum pupillæ oculi, in umbra alarum
tuarum absconde nos &c. Amen, Islebij Calend. Aprilis, Anno M. D.
LXVI.

M. Hieronymus Mencilius in Com: Mansfeldensi
Superintendens, suo & collegarum suo-
rum qui sunt Islebij nomine.

PRAEFATIO



SI QVIS QVAM EST, QUI NON legit disputationem de Libero arbitrio, quæ in Thuringia Vinariae est habita inter Victorinum Strigelium, & Matthiam Illyricum, & nonnulla eiusdem argumenti scripta, quæ post eam sequuta sunt, non abs re miretur, quid sibi velit Ioannis Stosselij contentio de Modo agendi, nec voces ipsas satis intelliget.

Est igitur operæ precium, paucis indicare, unde sit exorta, & qua occasione Stosselius ea sit implicatus.

Postquam Victorinus ex sua captiuitate dimissus, & in locum suum est restitutus, scripsit quandam declarationem suæ sententiæ de Libero arbitrio, et viribus hominis, in qua quidem videri voluit se proponere sententiã verbo Dei, et confutationi illustrissimorum principum Saxoniae consentientem: Reuera tamen eundem errorem retinuit, quem acerrimè defenderat in publica disputatione Vinariensi, & nouis quibusdam verbis alienis à sacra scriptura, & in Ecclesia minus vrbtatis occultauit. Etsi enim fateretur, nullam vim si peresse post lapsum in homine, qua sine Spiritu Sancto possit amplecti Dei promissiones, & ijs assentiri: tamen asseruit in homine esse quendam Modum agendi, & quandam aptitudinem & capacitatem in rebus spiritualibus, quod videlicet sit aptus & capax, vt possit aliquo modo, quamuis languidè præbere assensum verbo Dei, & beneficia Christi accedente auxilio Spiritus Sancti accipere.

A 2

Hanc

PRÆFATIO.

Hanc declarationem seu verius obscurationem Stoffelius cum quibusdam alijs Theologis approbavit, etiamsi sciret esse cothurnum, qui vtrique pedi facile aptari posset. Qui verò moti gravissimis causis, voce & subscriptione sua approbare eam recusaverunt, sunt a moti à sua functione, & ab Ecclesijs suis aliò iussi discedere.

Cum igitur ob hoc præclarum facinus non auro daret bene, & iam ante autor & adiutor fuisset strenuus, ut præcipui Professores in Theologia pellerentur ex Academia Ienensi, cum quibus fuerat in oppugnantis erroribus coniunctissimus, & quos dixerat se agnoscere pro synceris Doctoribus, & salutaribus organis Christi, cepit Stoffelius telam suam, quam semel exorsus fuerat pertexere sequè purgare & defendere, quasi re bene gesta adhuc in vera sententia consisteret, ac nequaquam à sinceritate Doctrinæ ad Corruptelas deflexisset, conscripsit Propositiones quasdam, de quibus publicè disputaretur.

In his voces novas & inusitatas, Modum agendi, aptitudinem & capacitatem inseruit, & Victorino se planè cõformavit, cum antea se cum illo sentire verbis & manu sua testatus esset, & talem se dedit in hac disputatione, qualem se dederat Victorinus, positis contradictionibus, nunc negans superesse vires aliquas hominis in rebus spiritualibus, nunc econtra tribuens homini non renato Modum agendi, capacitatem & aptitudinē, atq; ita Psychici Hominis Synergiam astruens.

Has contradictiones & perplexitates reprehenderunt Theologi Ecclesiarum Comitatus Mansfeldensis, & ex ipsius Stoffelij propositionibus ostenderunt,
eum

PRÆFATIO.

eum contradictionibus & perplexitatibus doctrinam illustratam Dei beneficio inuoluere & obscurare. Hoc est illud hulus, quod tetigerunt, hoc illud maleficium & graue peccatum, quo Stoffelius offensus & irritatus erupit in atrocissimas Criminationes, accusationes & maledicta, & quicquid vsq; est scelerum in viros innocentes congesit & tanquam rudera & stercoſa in eos proiecit, vt vero videretur grauissimè & iniustissime læsus esse, seq; stomachandi, debachandi, & calumniandi iustissimas habere causas, suum modum agendi, quem tribuit homini in conuersione, bellis gloriis adornauit, vt fucum faceret, & persuaderet, selympidam aquam nunquam turbasse, nihilq; fecisse mali, nunquam à recta via declinasse, cum Victorini cothurnum induit & in eius insidiosam & tenebricosam declarationem consensit, Ministros veros Christi pulsos in exilium nihil causæ habuisse, cur detrectarent Victorini subdolæ declarationi subscribere.

ANNOTATIONES IN DECLARATIONEM Ioannis Stoffelij, De Modo Agendi.

Primo Stoffelius negat, se per Modum agendi intelligere latentem aliquam vim, aut efficaciam, in homine Psychico post lapsum reliquã, quæ in rebus Spiritualibus excitata à Spiritu Sancto, cum eo in Conuersione concurrat. Atq; huc tendebat Victorinus in disputatione Vinariensi de Libero arbitrio, seu viribus hominis, Quod in homine post lapsum manserit vis aliqua voluntatis quæ excitata & adiuta à

PRAEFATIO.

Spiritu Sancto, possit verbo Dei, quamuis languide assentiri, dixit enim, vt verba eius recitantur, fol. 16.

Homo sicut retinet substantiam corporis et animae, quamuis languentem et debilem, ita retinuit etiã intellectus suam proprietatem et modum agendi, qui etiam si impeditur, tamen remoto hoc impedimento et sanato per filium Dei, redit natura ad suam proprietatem.

Fol. 20 Voluntas ẽ, & manet voluntas, & retinet suum Agendi modum, seu proprietatem in agendo in voluntate, quae differt ab alijs naturaliter agentibus, etiam si languet & impeditur, aut etiam incitatur ab alijs causis

Fol. 40. Deus conseruat substantiam à se conditam, in anima & corpore, & sustentat proprietates et modum agendi in voluntate, quo differt à cæteris creaturis.

Fol. 113. Non dico solum voluntatẽ sine Spiritu Sancto posse apprehendere verbum, sed efficaciam Spiritus Sancti comitari nostram voluntatem, seu aliquem assensum. Quia voluntas non trahitur sicut Ferrum à magnete, & de Modo agendi disputo, non de nostris facultatibus aut viribus.

Fol. 114. Disputo tantum de apprehensione verbi & qualicunq; assensione languida trepida & imbecilla. Hanc dico non proprijs viribus fieri posse & solis, sed adiuvante voluntatem Spiritu Sancto. Cum vrgeretur aliquoties, vt disertè explicaret, an tribueret Synergiam homini non renato vel conuerso, semper receptum habuit ad suum modum agendi, & quamq; minime videri voluit se asserere Synergiam, reuera tamen asseruit, & acriter contendit, subinde repetens, voluntate

P R Æ F A T I O.

voluntatem hominis aliter agere, quam agunt res naturales, ut persuaderet inesse voluntati facultatem aliquam assentiendi, & salutem oblatam amplectendi verba Victorini recitantur in Vinariensi disputatione, fol. 22. Etsi agnosco deprauationem & ἀραξίαν, tamen ipsum liberum arbitrium, voluntatem cum proprietatibus, & Modo agendi negare non possum, nisi velim ex homine saxum vel beluam facere. Iam si Stosselius non intelligit per Modum agendi vim aliquam voluntatis, quæ excitante Spiritu Sancto ex sese præbeat assensum, cur approbavit & recepit, & alijs autor fuit, recipiendi Victorini fucatam Confessionem, & formulam concordiaë, in qua suum modum agendi inseruit, & id quod antea senserat de Synergia occultauit, Cur ipse Stosselius in suis pagellis reprehendit alios, quod insulse eripiant homini non modo vim & facultatem conuertendi? Qua reprehensione ostendit se voluntati hominis tribuere aliquam facultatem in Conuersione. Dicit, se cum eruditis hæc Phrase discernere naturam rationalem à bruta, agens voluntarium, ab agente naturaliter. Ad hanc distinctionem aliquoties Victorinus pro Synergiaë defensione in disputatione refugium habuit, tanquam ad sacrã anchoram, cum nihil esset, quo suam Synergiam, & Modum agendi defenderet. Quis vero est tam ineruditus qui nesciat naturam rationalem, discernendam esse à bruta, et aliter agere, quæ agunt voluntarie, quam quæ agunt naturaliter. Discunt hoc Scholastici in primo prædicamento Dialectices, hominem esse animal rationale. Repetit Stosselius, se per modum agendi discernere hominem à brutis verum in disputatione de Libero arbitrio, & viribus hominis non
hoc

ANNOTATIONES,

hoc quæritur, an intersit inter hominem & Brutum: Sed an suis viribus aliquid cooperetur, ad sui conuersionem & salutem. Allegat vsum receptum in scholis, Cæterum cum ex verbo Dei de homine corrupto & dilucida & simplex requiritur Confessio, videndum quid in Ecclesia & Schola Christi receptum sit, & quæ Phrasæ ex Scriptura sacra sint vsitatæ in Theologia, estq; iuxta præceptum Apostoli forma sanorum verborum retinenda. Noui quosdam, qui ad decennium sunt versati in Vitebergensi schola, & audiuerunt præstantiorum Theologorum, de grauissimis quæstionibus disputationes, Conciones, & prælectiones, in quibus de Modo agendi altum silentium fuit.

Quod autem affirmat Stoffelius, manere adhuc in hominis voluntate, aliquo modo liberam electionem in ijs rebus & actionibus, quæ humano iudicio subiectæ sunt, ne id quidem in Controuersiam venit, sed quæritur, an in rebus Spiritualibus reliqua adhuc maneat libera electio, & an ita mens hominis corrupta sit, quod tantum sit labefactata, & languefacta, vt Stoffelius cum Victorino loquitur: An vero ita sit deprauata, vt non possit nisi malum velle & eligere in in Spiritualibus, nisi Deus seruam voluntatem liberet, & ex mala bonam faciat.

Secundo dicit Stoffelius, Modum agendi sumi interdum pro capacitate libertatis, nec tamen explicat de actiua ne an passiua capacitate libertatis loquatur, hoc est, an de ea loquatur libertate quæ restituitur per Christum, an de ea, quæ est ex nobis, Citat verba Lutheri, qui exponit, quo sensu patres liberum arbitrium asserunt, videlicet quod prædicant Capacitatẽ libertatis eius,

IN MOD: AGEN: STOSS:

eius, quod possit verti ad bonum per gratiam Dei, & fieri reuera liberum. De Modo agendi nullam facit mentionem, non dicit Modum agendi sumi pro libero arbitrio, vel pro capacitate libertatis. Brentiu, quem allegat, respondet Papistis ad eandem objectionem, quæ nunc cum magno plausu obicitur à Synergia patronis, Hominem scilicet non esse saxum aut truncum, Differentiam in hoc constituit, quod Homo ita sit conditus, vt sit capax cœlestium donorum Spiritus Sancti. Quis vero nescit? quis negat? Hominem posse per gratiam Dei liberari à seruitute Sathanæ, & in homine esse aptitudinem, quæ non est in trunco aut lapide, quod possit accipere cœlestia dona & salutem cœlitus data hac facultate. Truncus autem, saxum, anseres & aliæ Bestiæ non sunt capaces libertatis & salutis, pro quibus nec cœlum condidit Deus, nec filium suum dedit in mortem crucis, quibus nec prædicatur Euangelium, vt fiant aptæ ad regnum Cœlorum: quis inquam nescit, hæc tam abdita mysteria nisi à Papistis & Synergistis sapientiam istam absconditam discat? Manifestum est ex verbo Dei, homines non potestate Liberi arbitrii esse aptos, vt conuertantur, & accipiant beneficia Christi, nisi Deus aptos faciat & capaces. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, nec potest intelligere, Non sumus idonei ex nobis aliquid cogitare boni tanquam ex nobis. Quid opus est ad hanc cœlestem doctrinam explicandam obscura, ambigua, & perplexa phrasi de Modo agendi, cum liceat rem ipsam perspicuis verbis Christi enunciare: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis?

Tertiò, Stoffelius accipit hanc phrasin pro medio

B

à Deo

ANNOTATIONES.

a Deo ordinato, per quod regeneramur & efficimur hæredes regni cœlorum. Quis crederet tanta mysteria latere sub vna noua phrasi ignota scripturæ, nisi Stollæ lius ea reuelaret? Ecclesiæ Christi per tot annos magno consensu docent de medijs à Deo ordinatis, ad hominis conuersionem & salutem: Quorsum attinet doctrinam verbo Dei luculente traditam & illustratam inuoluere obscuritate de Modo agendi? Scriptura abunde suppeditat, quæ possent opponi Enthusiasticis & Suenkfeldistis, vt refutentur eorum deliria, quibus non solum eleuant, sed etiam tollunt dignitatem, vim & efficaciam verbi Dei. Negari non potest, modum agendi opponi ijs, qui solius Dei gratiæ & operationi tribuunt, quæ Semipelagiani ascribunt ex parte voluntati hominis, & falso de Enthusiasmo insinulari, qui orthodoxè & sentiunt & loquuntur de ministerio verbi, per quod Deus homines conuertit, & saluos facit.

Hoc loco inferenda sunt, quæ D. Illyricus respondit calumniatoribus in libro disputationis Vinariensis.

Fol. 118. Sentio verbum audiendum, meditandum, nominandum die ac nocte, sed vnde est illa bona vis audiendi & cogitandi? probes ex verbo Dei, nos eam ex nobis, ex parte, vel totâ habere. Alioqui scriptura dicit ex solo Deo, inquiens: Qui ex Deo est verbum Dei audit, Concedo fidem esse ex auditu. Fol. 2. & nos non debere (vt Synergistæ alijsq; eorum complices impudenter de nobis blaterant) domi in angustis, vt Enthusiastæ faciunt desiderare, manere in dubitatione et fremitu, expectare Spiritum & raptus violentos, sed audire verbum, frequentare conciones, præstare saltem externam obedientiã erga verbum, Nec enim Spiritum sine verbo efficacem esse. Fol.

IN MOD: AGEN: STOSS:

Fol. 322. recitatur argumentum aduersariorum eiusmodi. Hæc doctrina confirmat Enthufiasmum Suenckfeldicum, quia adimit omnem libertatem voluntati, in conuerfione, & foli Spiritui affcribit. Respondet, nego confequentiam, non confirmamus Enthufiasmum, quem multo pluribus, quam ipfi libris oppugnauimus. Nam Enthufiastæ simpliciter contemnunt, & reijciunt ministerium Verbi & Sacramentorum, iubent expectare peculiare reuelationes & affatus diuinos extra verbum. Sed docemus diferte ministerium Verbi & Sacramentorum, per quod Spiritus Sanctus femper est efficax, non esse fugiendum, sed omni studio esse audiendum verbum Dei, & illos qui ferio audiunt verbum, haud dubie conuerfi. Proinde etfi spiritualement libertatem viribus nostris in conuerfione ad Deum adimamus, non fequitur tamen vlllo modo approbare nos, aut inuehere in Ecclefiam opiniones Enthufiastarum.

Cum in publicis fcriptis extent tam manifesta calumniarum confutationes, mira est impudentia easdem denuo toties proferre. D. VVellerus, cuius verba citantur, non loquitur de Libero arbitrio & de Modo agendi, quo nos ex nostris viribus agimus cum Deo, & Spiritui Sancto in conuerfione cooperamur, sed de modo, quo per verbum suum quod per homines annunciat, agit nobiscum.

Quarto, Stoffelius excusat suam phrasin hac glossa se voluisse declarare, hominem accepto Spiritu Sancto non esse vt statuam, sed iam posse ex S. S. vi & efficacia assentiri promissioni, & amplecti oblatam gratiam. Quis autem negat, aut quis contradicit, quod ho-

ANNOTATIONES,

mo conuersus & renatus, non sit iam vt statua, & posset ex efficacia Spiritus S. assentiri promissioni? Quomodo quis hoc non posset præstare, quod omnipotens Dei Spiritus in illo & per illum efficit? Omnia sunt possible credenti. Quid verò confert obscura phrasis ad huius doctrinæ declarationem? quæ satis est illustrata in verbo Dei, quod docet pios esse organa Dei, conditos esse ad bona opera, omnia posse in eo, qui nos confortat.

Cæterum Semipelagiani de hoc cum synceris doctoribus rixantur, quod homines non renatos, quantum quidem attinet ad ipsorum vires, in efficienda conuersione, & actionibus Spiritualibus comparant ligno prauo, quod est dedolandum, & luto, quod manibus figuli formatur, & lapidibus duris, quibus comparationibus etiam scriptura vtitur. Vnde sumunt isti materiam calumniandi & traducendi illos, quod ex hominibus stipites & saxa faciunt.

Sed est & hæc calumnia satis refutata in disputatione Vinariensi & aliâs. Illyricus dicit fol. 45. Illud verò mihi planè falsò attribuis, quod dicam, hominem non differre à trunco & statua. Dico enim quod in Spiritualibus nō tantum amiserit omnes bonas vires, sed etiam planè contrarias & pessimas nactus sit. Idem folio 55. Alterum sophisma est, quod vis persuadere auditoribus, tanquam si velim vrgere per omnia cor nostrum conuenire cum lapide & luto Non per omnia confero, ea tenus confero, quatenus sensus & res ipsa postulant.

Fol. 176. Homo non est truncus naturaliter & statua, sed sæpe & verè dicitur de homine non renato: Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt,

IN MOD:AGENSTOSS:

diunt, Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui
confidunt in eis. Et Moses inquit. Non dedit tibi Domi-
nus oculos ad videndum, & cor ad intelligendum, vt
vera dicat scriptura nos in rebus Spiritualibus statuis
similes, cor habere (t non intelligere, oculos & non vi-
dere.

Folio 320 respondetur ad obiectionem. Non agit
verbum & S. S. ita in hominis corde sine omni motu
intellectus & voluntatis, vt herbae & medicamina a-
gunt. Concedimus totum argumētum, esse multos mo-
tus intellectus & voluntatis, bonos & malos in conuer-
sione, intellectus intelligat, & voluntas velit, sed vnde
nam illa idoneitas bene cogitandi, & vnde bonum velo-
le voluntatis, num ex nobis, tanquam ex nobis, an po-
tius omnis sufficientia volendi & cogitandi ex solo
Deo est, vt quidem Paulus sentit. Iterum folio 337. Ad
obiectionem. Nimis durum est hominem mortuo trun-
co aut lapidi, quem statuarius format comparare: Hæc
datur responsio: Multo se peius homo conuertendus
habet erga Deum, quam lutum erga figillum, aut lapis
vel truncus erga statuarium. Nam artifex eligit sibi tan-
tum bonam ac idoneam materiam, quæ se commodè
fingi ac formari patiatur sine omni repugnantia. At
nos sumus pessima materia, concupiscens contra Spi-
ritum, & repugnans nostro artifice. Sic igitur nos erga
eum habemus, si modo scripturæ credimus, ac si
figulus ex arena vasa fingere, vel statuarius ex nodos-
sissimo & distortissimo ligno statuam scalpere conaretur.
Quod si Stoffelius concedit hæc (vt quidem sunt)
esse vera, et de his verè consentit, aperte profiteatur
consensum, absteineat à conuictijs, non contamineat inno-

ANNOTATIONES.

centes foeda macula Enthusiastarum, non oneret teteris rimis calumnijs. Fatetur non esse captiosus aut flexilocus formulis loquendi ludendum in Ecclesia, non esse inuoluendam veram doctrinam. Id facere ne videretur prædicat suam liberalitatem, se non modo liberum fecisse alijs dextrè usurpare aut rejicere phrasin de modo agendi, sed etiam se prorsus abstinere ab eius usu.

At quomodo fidem faciet verbis suis, quod eam libertatem permiserit alijs, qui consensit, si non etiam adiuvit verbis & factis, ut eijcerentur ex suis Ecclesijs Superintendentes & Pastores, qui recusaverunt subscribere flexiloquæ & fallaci formulæ concordia, & noluerunt Victorini cothurnum induere? Allegat Apostoli præceptum, qui præcipit vitari ambiguitates & λογόμεχίας, & retinere formam sanorum verborum. Addit, se esse hortatorem suis auditoribus, ut res ipsas & modos loquendi perspicuos, & vsitatos Prophetis & Apostolis retineant, Cur autem ipsemet non obtemperavit Apostoli præcepto? Cur non vitavit ambiguam phrasin de modo agendi? Cur non retinuit formam sanorum verborum & modos loquendi perspicuos & vsitatos Apostolis? Vbi Prophetæ & Apostoli vsi sunt forma verborum de modo agendi? Quæ est in ea perspicuitas, quæ opus habet tot glossis & declarationibus? Postea iterum prædicat de sua liberalitate, se vltro & sponte de his vocibus & loquutionibus cessasse, ne erroris aut iustæ defensionis materia vel suspitio cuiquam præberetur. Atqui oportuit sponte de his loquutionibus iam antea cessasse, imò potius abstinuisse, ne præberetur materia erroris & iustæ defensionis. Nō decuit multos pastores bonos & ministros fideles pellere cum nollet
appro

IN MOD:AGEN.STOSS:

approbare formulam concordiae insidias in Mo-
do agendi occultantem. Nunc tandem illato dama-
no Ecclesiae, & data materia defensionis, profitetur se
velle cedere. Idem fecit D. Maior, postq̄ magna con-
tentione in prolixo volumine defendit, Bona opera esse
necessaria ad salutem. Postq̄ turbavit Ecclesias, & gra-
uia scandala dedit, professus est se velle cedere, non
quia errasset, aut male se fecisse agnosceret, sed quia a-
lii male interpretarentur eius dogmate operum ad
salutem necessitate. Sic tandem cuius licebit obijcere
pompum contentionis, corruptelas inuehere, errores
propugnare, postea os obstergere & dicere, Nos cessi-
mus vel cedemus, et nihilominus addere praecleara glos-
semata, interpretationes, & pulchras declarationes. Sic
impune erit spargere noua dogmata, & corruptelas
celestis doctrinae, si modo bellis glossis pingantur &
excusentur. Ad has praestigias, colores & praetextus
ne sit opus decurrere, debent pii Doctores verae con-
cordiae & pacis Ecclesiae studiosi operam dare, vt pro-
prie perspicue, & simpliciter explicent doctrinam Ec-
clesiae Christi, in omnibus & in singulis partibus, cor-
ruptelas & falsa dogmata fugere & detestari, formam
sanorum verborum vsitatam Prophetis & Apostolis
retinere, & summa diligentia doctrinae puritatem con-
seruare.

CATALOGVS CALVMNIARVM

& mendaciorum, quae Ioannes Stosselius in pios
ministros bene meritos de Ecclesia Chri-
sti sine omni timore Dei & absq̄
pudore effudit.

In

ANNOTATIONES.
IN TITULO.

1. Quod maledictum eius scriptum sit Apologia opposita Sophisticis & friuolis cauillationibus quorundam.
2. Qui ambitiosi & odio accensi.
3. Potentiam & autoritatem reformandi alienas Ecclesias arroganter sibi sumunt, & 4. Prætextu puritatis doctrinæ & gloria Dei.
5. Ad nouas seditiones, aut sæuiores distractiones in Ecclesia Christi classicum canant.

MENDACIA & CALVMNIÆ

effusæ in falso nominata Apologia

Ioannis Stosselij.

1. Quod ex officina coniuratorum Flacij prodijt,
2. Atrox & mordax inuectiua, 3. Lacerans tam nomen, quam propositiones Stosselij.
4. Quod in Examen aut disceptationem vocentur ab ijs, qui magis factionum studijs & fictis criminatio- nibus, 5. Quam erudita disputatione hætenus Eccle- sias consueuerunt oppugnare.
6. Quod in eius censoribus tanta sit acerbitas o- dij in eum 7. Colore inducã, vt quotidie ad conflictum ipsum 8. lacessere & conuictijs prouocare non desinant, additis 9. Synonijs artibus, quibus non tam ipsi quam Ecclesiarum in Turingia disceptationes, & sæuiores distractiones moliantur. Quod Stosselius recipere vo- luit 11. refutandas nouæ confessionis imò confusæ & ambitiosæ reformationis accusationes Quæ caudæ 12. draconis instar adiectæ sunt libro confutationis mini- strorum, qui docent in Ecclesijs comitatus Mans- feldensis.

IN MOD: AGEN: STOSS:

feldensis, Quod illorum confessio 13. amplos sibi titulos vendicet, ac vt apud imperitos sua 14 fallaciloquentia se magis insinuet, Synceros doctores cum fallis 15. commisceat, ac ad Synodum & Ecclesiae iudicium pro uocet, 16. à condemnatione, scilicet ad causae cognitionem. Quod sint 17. rabiosa factio, qui corruptelis & erroribus contradicunt, quod non 18. obscure tela vibrantur in illustrissimos Principes Saxoniae duces.

Quod errorum & corruptelarum reprehenses sumunt sibi 19. licentiam impune calumnijs grassandi. Quod Stosselius 20. modeste depellat falsas & iniustas criminationes, Quod nihil tam perspicue & proprie possit dici, cui non 21. tenebras ipsi offundunt.

Quod non obscure 22. prodant animi sui morbum & significant se ad censuras & iudicia dogmatum, non 23. afferre timorem Dei 24. eruditionem, 25. veritatis amorem.

Studium 26. iuuandae verae inuocationis Dei, modestiam & 27. candorem animi, sed 28. odia: 29 Exulceratas voluntates, 30 Inscitiam, 31 Arrogantiam, 32 Sophisticam, 33 Contentiones & victoriae iniustam cupiditatem. Quod Stosselius fortiter 34 factionum studijs & prauis molitionibus Sycophantarum 35 communem Ecclesiarum concordiam 36 perturbantium se pro officio opponat.

37 Quod Syncretismo facto,

38. Factio tumultuatrix in eum irruat, & pro more suo 39. Corruptelas & collusiones cum Adia phoristis & Synergistis ipsi affingat.

40. Quod ubique dominationem sibi rapiant, & 41 tyrannidem exercent.

C

Quod

ANNOTATIONES.

Quod piorum Ecclesias, 42 eorumque Doctores oppugnent calumnijs 43. Sycophanticis,

44 Mendacijs & alijs 45 artibus obliquis.

Quod corruptelarum & errorum oppugnatores, 46. omisis communibus hostibus priuato 47 affectu in collegas, & quidem amicos, magna acerbitate 48. animorum 49 impetum fecerint, quod non moueantur 50. misericordia Ecclesiae.

Quod sine necessarijs causis hoc tempore Ecclesiam 51. dilacerent, Quod eius censores in 52 arrodendis & exagitandis eius propositionibus vtantur 53. artificio seu stratagemate malis procuratoribus vlitato.

Quod 54 sint Sophistae, qui sua σοφισματιὰ contra 55 mentem auctoris e contextu propositionum voculas quasdam 56 contorqueant & deprauent mox etiam 57 violentas consequentias attexant. Et, tandem quasi victo & 58 prostrato Stoffelio insultent, eumque in 59 haeticorum catalogum ascribant.

Quod ij, qui contradicunt Semipelagianis siue Synergiae patronis sint 60 Stoici & Enthusiastae furiosi, qui hominem cum 61 trunco aut 62 naturis brutis confundant, & insulse non modo 63 vim & facultatem conuertendi, sed ipsam etiam 64 substantiam cordis & voluntatis homini eripiant.

Quod homines etiam hostiliter 65 frementes & furentes, & aduersa fronte 66 repugnantes ministerio semper 67 ordinate conuerti velint, atque ita Deum 68 ipsum authorem peccati constituent, labyrinthos 69 inextricabiles conscientijs neclant & iniiciant, & tandem homines a 70 ministerio abducant.

Quod

IN MOD:AGEN.STOSS:

Quod publicè ultra triennium à 71 morosis iudicibus, 72 proclamatus sit literis calumnijs & voce Stenatorea Synergista, hæreticus & Apostata. Quod postlatam sententiam & 73. factam executionem, demum instituant inquisitionem. Quod 74 stupor in iudicandis eius propositionibus & iudicij 75 peruersitas inde sit, dñq̄ animi 76 liuore et maleuolentia iam antea sint occupati, 77 et suffusi et 78 præiudicijs antecepti. Quod sint Simiæ & 79 magis πάρεργα ἢ ἔργα Lutherum imitent:

Quod sint digni, quibus s0 larua Lutheri asperius paulo detrahatur, qua simplicibus & imperitis hætenus s1 fucum fecerunt, & s2 zelus quo intumescant in lucem prodatur, Quod plurimi non sine s3 suo & Ecclesiæ malo hunc zelum animaduertere iam discant quibus constantiæ s4 affectatæ πρόφασις & s5 vana Lutherani nominis ostentatio oculos antea s6 perstrinxerit.

Quod atrociter s7 flagelletur propter phrasinã magni nominis autoribus antea vsurpatã s8 cuius nec authorem, nec propugnatorem se vnq̄ professus sit. Quod Thrasonice & s9 plenis buccis Antagonistæ de se prædicent se custodire depositum. Quod sint faces dissidiorum in 90 Ecclesia Dei. Quod in suã 91 farinã hominibus non modo ambiguas et impprias loquendi voces, sed propositiones etiam 92 monstruosas et portentosas, imò horrenda paradoxa ab Antimonis & alijs sparsa tolerēt, ἡς ἑὶ σοφὰ φάρμακα affingāt. Quod lector aperte deprehendat ipsorum λογομαχίασ φιλονεικίασ, & 95 contradicēdi studium. Quod eius Anatgonistæ 97 zelo furiant, Quod sic argumentur 98 Stosselius docet S. S. regulariter per ministerium homines conuertere

ANNOTATIONES.

& regenerare. Docet hominem accepto Spiritu Sancto non esse statuum, sed sentire novos motus, assentiri promissionibus, Ergo est Apostata, hæreticus, & defecit à confessione suorum principum.

Stoffelius πρόφασις & prætextum seditiosæ & inquietissimæ factionis detexit αἰτίον et seu arcem causæ inuasit, ostendit quo ipsorum consilia, censuræ & reformationes ipso affectu tendant & spectent, id in fine suarum propositionum recensuit. Ergo est Anathema.

Quod argumentandi ratio aduersus Stoffelium & constantes & synceros Doctores Ecclesiarum non tantum sit 100 classicum ad populum, sed planè 101 caput Gorgonis, quo cōspecto multi 102 vertant in scopulos, Quod odia omnium 103, ordinum aduersus Academi-
mias, earumq̄ professores incendant. Quod illis 104 generalibus Ecclesiarum reformatoribus, seu 105 inquisitoribus hæreticæ prauitatis nemini tutum sit, sub pœna 106 Anathematis contradicere.

Quod cum defunt eis argumenta, 107 decurrunt ad fulmina execrationum, & maledicant dissentientibus. Quod de conseruo suo præiudicent, nec 108 patienter expectent tribunal, & forum illud domini sanctum, sed tanquam Aganorhetæ coronatis alijs 109 alios ignominiosè ante tempus condemnent.

Quod sint 110 blasphemi zelotæ, qui fæde 111 abutantur sanctissimo nomine Dei & falso 112 testimonio optimè de Ecclesia Christi 113 meritos onerent & deforment.

Quod virtutum 114 loco habeantur. Virulentia 115 linguæ & styli. 116 Sophistica, 117 Maleuolentia, 118 suspicacitas, 119 maledicentia, 120 πολυπραγμοσύνη
Tyrannis

IN MOD: AGEN: STOSS:

Tyrannis & 121 crudelitas erga omnes, qui 122 mancipia ipsorum esse detrectant. Ostentatio 123 argutiarum. Amor 124 contentionis. Multiplices 125 practicae praetextu religionis & zeli susceptae. 126 ΕΝΙΧΑΙΡΕΜΑΧΙΑ affectatio 127 supremi magistratus & reformationis omnium Ecclesiarum. Studium 128 factionum, indulgentia 129 erga suos coniuratos, quorum quo quisque sit 130 impudentissimus & sceleratissimus eo ad maiores dignitates prouehatur.

Quod nullos apud 131 eos sit moderationi locus. Si quis studio mitigandi 132 violenta consilia subiiciat illud Pauli: Sapite modestiam, eum mox audire oporteat Adiaiphorista, Synergista, tolle, Anathematiza.

Quod Anathematizent 133 si quis aliud Euangelium afferat quam Flacius protulit aut approbavit.

Quod malus eorum 134 Spiritus ex fructibus ipsorum aestimari & deprehendi possit. Quod nemo nisi vecors sit, aut 135 insanus patietur sibi persuaderi, Lutheri zelo eos agitari. Quod Scholas & Ecclesias 136 subuersas cupiat, qui illorum societati se implicet.

Quod non modo nullum 137 candorem & prudentiam aut ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ in iudicando adhibeant, sed saepe 138 damnent non intellecta, idque tamen ut 140 aucupentur gratiam & fauorem sui Theatri.

Quod non discernant 141 inter ciues & hostes, collegarum recte 142 dicta deprauent, quo plausibilis existimentur conuellere. Quod 143 virulenter insectentur bonos viros, & 144 seditiosa moliantur & conentur.

Quod sint Simeon et Leui vasa 145 iniquitatis beluinitatis, quod 146 maledictus sit furor eorum, quia pertinax

ANNOTATIONES,

nax, et 147 indignatio eorū, quia dura. Quod sint Cad-
mæi 148 fratres, q̄s suis coloribus Stosselius depin-
xerit. Quod Serpentē in sinu foueāt, qui illis hospitia præbēt.

CONFUTATIO CALVMNIARVM, QVAS

Ioan: Stosselius in falsa nominata Apologia effudit.

Quam verè dictum sit à Salomone Prouerbiorum
9. Qui castigat subsannatorem, ipse sibi iniuriam facit,
& qui arguit impiū sibi maculam generat. Et cap.
25 Acetum nitro infundit, qui cantat carmina cordi pes-
simo, Id satis demonstrat eximia virtus Iohan: Stosselij,
qui à Professoribus quibusdam Academiae lenensis pio
studio admonitus de suis delictis, in pessimam id ac-
cepit partem, et iniquissimo animo ferens, priuatam &
fraternam admonitionem, in forensē, ac criminalem
accusationem conuertit, qui datis aliquoties dextris fla-
gitauit, vt si quid in ipso desiderarent, candidè & liberè
admonerent, se eorum monitionem aut reprehensionē
Christiano animo accepturum. Quod quam benè præ-
stiterit miserè disturbata, & disiecta Academia lenensis
testis est. Possunt etiam Theologi eiectioni verè testari q̄
bona gratia ipsis p̄ officio charitatis sit relata. Idē, nunc
experiuntur fideles ministri in comitatu Mansfeldensi,
qui monendi gratia vt errata sua agnosceret, et emenda-
ret, indicauerunt eius perplexitates et tenebras in clara
luce obiectas, in q̄s atrocissima inuectiua debachatus ē
& q̄s vndiq̄ conquisitis, et coaceruatis maledictis, calū-
nijs, & pbris obruere voluit, & omnib. bonis viris, sum-
mis & infimis facere exosos, detestabiles & execran-
dos. Beneficium est grato animo accipiendum erranti
monstrare viam: Haberetur non solum pro extremè in-
grato, sed etiam pro infano, si quis admonentem, de erro-
re viæ, & in rectam viam reuocantem insectaretur
conuictijs

IN MOD: AGEN: STOSS:

conuiths & maledictis. Est vero multo maius beneficium in doctrina salutis æternæ admonere aberrantes, & alios abducentes à semita recta suis inuolucris & perplexitatibus obscuris. Pro tanto beneficio gratia non solum habenda est magna, sed etiam referenda, Sed qualem gratiam referant hypocritæ malesani insigne præbent documentum Stoffelij virulentæ & maledicæ pagellæ, vnde dilucide apparet, quam verè malignus ille Spiritus, hostis simplicis veritatis habeat à calumniando nomen Diaboli, & quam sint patris sui similes filij, de quib. Christus dicit: Vos ex patre Diabolo estis, et eius desideria vultis p̄ficere. Si Stoffe: inter filios Dei vult locum habere, cur non omisis maledictis, & calumnijs modestè iusto modo respondet ad obiecta, & sententiam suam in controuersia maxima perspicuè explicauit. Paucissimos nunc reperias, qui sese opponunt Pseudoprophetis, & sectarum autoribus, qui verbum Dei adulterantes multos seducunt. Non est autem tam mirandum paucos tales inueniri, q̄ est dignum admiratione aliq̄s superesse, tam bonæ fidei Doctores, qui vtcunq̄ faciant, qd Apostolus requirit ab Episcopis, qui doctrinam sanam tradant ac retineant sine corruptelis, & contradicentes sanæ doctrinæ conuincere, illisq̄ ora obstruere conent̄. Certè multos premia deterrēt, qualia receperunt Prophetæ, Apostoli & Episcopi, veræ doctrinæ constantes cōfessores ac defensores, falsæ oppugnatores. Et qualia nunc reportant, qui lupis non parcentibus gregi Christi contradicunt, de quib. p̄mijs dicit Salomon Pro: 25. Qui castigat subsannaorem sibi iniuriam facit, & qui arguit impium sibi maculam generat.

Nihil verentur crudeles hypocritæ in publicis scriptis spargere, & euulgare manifeste falsas & notorias criminationes

ANNOTATIONES

criminationes & obiectiones detestabilium scelerum, atq; ita cuiuscunq; ordinis homines inflammare odio aduersus Oeconomos mysteriorum Dei fideles & irreprehensibiles. Quid faciunt tales clanculum? Quid occultis susurris & delationibus instillant & insinuant multorum animis? quibus adhibitis stimulis instigant contra innocentes. Experientur autem aliquando isti delatores & Sycophantæ verissimum esse, quod idem Salomon prædixit euenturum contemptoribus præfractis Prouerb. 29 Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus eueniet interitus, & sanitas eum non sequetur. Qui vero sine culpa sua, tantum propter nomen Christi, & veritatis constantem, tum confessionem, tum defensionem deformantur similibus præconijs & laudibus, quibus Stosselius aliq; Synergistarum Patroni & Adiaphoristæ Viros suspiciendos, eximia dona, & vtiles labores exornant, habent Christi dulcissimam promissionem: Beati estis cum omne malum contra vos dixerint mentientes, Gaudeate & exultate, copiosa est enim merces vestra in cœlis.

Quia autem contra falsos Testes, Calumniatores, & maledicos concionatores, est dandum verum testimonium, & proximi innocentia, & fama bona est tuenda. Ideò criminationibus Stosselij sunt appositæ breues quidem, sed veræ confutationes quibus commune factus Stosselius agnoscat se non leniter peccasse, calumniando, & maledicendo, timeatq; synceram sententiam iusti iudicis, latam in maledicos, quod regnum Dei non possidebunt, nec penas Gehennæ euadent.

Responsio

IN MOD: AGEN: STOSS:
RESPONSIO BREVIS
AD MENDACIA ET CALUM-

NIAS EFFUSAS IN FALSO NOMI-

nata Apologia Joannis Stoffelij.

In titulo scripti.

1. *Pagellæ tuæ Stoffeli falso se nomine venditant: Non sunt Apologia, sed impugnatio causæ bonæ, oppositæ veræ & solidæ refutationi ministrorum Ecclesiæ Christi, quæ est in comitatu Mansfeldensi.*
2. *Non ambitione & odio accensi confutant errores, sed adducti pio studio asserendi veritatem. Vide verò ne te accenderit ambitio & odium inflammauerit, vt author & socius esses in pellendis bonis pastoribus ex omnibus ferè Ecclesijs totius Turingiæ, & atroces has calumnias in viros innocentes effunderes.*
3. *Nullam sumunt sibi potentiam, nullam sibi arrogant potestatem, quæ Episcopis & Oeconomis non sit data in domo Dei à Christo, quid tu tuique similes quæeratis, facta vestra declarant. Non reformant alienas Ecclesias, quæ retinent formam sanæ doctriinæ: sed ne seduci se patiantur & deformari ab errorum magistris & patronis corruptelarum, admonent, & constanter ex verbo Dei illis contradicunt.*
4. *Non prætexunt, sed verè defendunt puram doctrinam & gloriam Dei,*

D

5. De

ANNOTATIONES.

5. De nouis seditionibus excitandis, accusas piæ pacis amantes ex eodem Spiritu, quo olim homines impij & turbulenti, impatientes reformationis, Prophetas, Christum, Apostolos & Martyres seditiosos esse vociferati sunt. Non est enim seditiones mouere, neq; distractiones facere, errores & corruptelas reprehendere ac monstrare, vt vitari possint. Quòd si inde existunt distractiones id Christus in se recipit, et discipulos suos excusat. Mat: 10. Luc: 12. In falsò nominata Apologia.

1. Non in Flacij, sed in Christi verba iurauerunt, neq; verò de coniuratione sunt accusandi, qui in confessione & defensione synceræ doctrinæ sunt coniuncti. Vide autem Stoffeli, ne crimen coniurationis in te & tui similes verè conuerti possit. Cæterum illud te malè habet alicubi superesse vnã officinã, quæ Ecclesiæ Christi inseruit: malles illam claudi, aut certè vobis ancillari, quibus vbiq; officinæ patent.

2. Sal non infatuatus habet acrimoniam & mordet. Est tibi atrox & mordax inuectiua, quæ teneras aurículas non blandè assentando demulcet, sed vera dicendo offendit.

3. Non lacerant nomen tuum, cum Dei potius, quàm tui nominis rationem habeant. Petimus enim Dei patris non nostrum nomen sanctificari. Fer patienter si quid decedat tuo nomini, vt illustrata & defensa veritate
nomen.

IN MOD: AGEN: STOSS:

nomen Dei sanctum habeatur. Non lacerant tuas propositiones, dum latebras & insidias detegunt, & patefaciunt falsa veris interspersa.

4. & 5. Non Ecclesias, vt tu calumniaris, sed errores oppugnauerunt, non quidem factionum studijs & fictis criminationibus, sed veris argumentis firmisq; probationibus, quas erudita vestra Philosophia, qua insolenter vobis placetis, non potuit conuellere.

6. Distingue inter odium, fructum carnis, & inter odium, fructum Spiritus, de quo David, Iniquos inquit, odio habui. Et iterum, Odio perfecto oderā illos. Calumnia est, quod hoc illud esse interpretaris. Ps: 119. & 139.

7. Non fucatus est, sed verus zelus, qui pro veritate, pro Ecclesia & gloria Dei dimicat, armis ex verbo Dei sumptis.

8. Pro tuo candore sic interpretaris, quod sit ad conflictum laceffere & conuitijs prouocare, contradicere falsis, ab erroribus defendendis ad amplectendam & defendendam veritatem reuocare.

9. Simonias artes melius excogitare & adhibere nouerunt Philosophi & aulici versuti, quam simplices Theologi.

10. Qui nam moliti sunt, & adhuc moliantur Ecclesiarum dissipationes, facta ipsa arguunt, & Ecclesie suis pastoribus multis in locis spoliatae, non sine dolore & luctu contestantur.

D. 2

Non

ANNOTATIONES

11. Non satis gloriose ostentares acumen ingenij, nisi detorqueres & inflecteres etiam voces & syllabas ad vituperanda ea, quæ digna sunt laude. Fortassis ipse grauius laboras ambitionis morbo, qui subinde alios de ambitione insimulas. Magnum verò honorem quis ambire, amplaq; præmia se consequi sperare possit ex reformatione, quæ quamuis utilis & necessaria in odiū citius & reprehensionem incurrit, quàm laudis aliquid obtinet. Tuum quidem exemplum facile ab eiusmodi ambitiosa reformatione deterret. Longè autem melius res Ecclesiæ haberent, quàm nunc habent, si plures essent, qui in reformandis erroribus ac vicijs non recusarent promereri similia præmia, qualia tu refers, alijsq; verè pijs reformatibus rependant.

12. Non leue est conuicium, ea quæ ex Deo sunt tribuere Draconi, qui est Diabolus & Satanas, Apocalips: 12. Abstineres à talibus conuicijs, si verè crederes, homines de ocioso verbo reddituros rationem.

13. Non amplos sibi titulos venditat confessio ministrorum Christi, sed quæ in se continet, vero titulo complectitur.

14. Non se insinuat fallaciloquentia, non loquitur falsa, sed quæ verissima sunt Veritas autem neminem fallit.

15. Non

IN MOD: AGEN: STOSS:

15. Non commiscet synceros Doctores cum falsis, sed errores in publicis scriptis sparsos vno complectitur fasce, & in vno libro refutat.
16. Quæ verbo DEI repugnant, eiusq; censura damnantur, cuius Christiano licet iudicare et damnare. Si expectanda sit semper cognitio & sententia Synodi de falsa doctrina & corruptelis, nec ante de his sit iudicandum, quàm præcesserit cõciliij cognitio, nihil mirum fuerit, si perniciosi errores in Ecclesia cumulentur & grassentur impunè.
17. Qui pro Christi grege clamant cõtra lupos, ne arguantur esse canes muti, rabiosa sunt tibi factio, perinde vt olim Prophetæ vocabantur ab impijs rabidi canes, quia non loquebantur placentia. 2. Reg: 9.
18. Age instiga potentes, vt si non est satis ex vna regione eiecisse viros integræ doctrinæ & inculpatae vitæ, ex alijs quoq; locis eijciantur. Si perges instigare, accipies aliquando mercedem, quem Psalmus 52. Dõegi consortibus denunciat. Non in bonos principes, sed in errorum patronos tela verbi Dei vibrantur, ne Sathanas per eos emissis suis iaculis vulneratos perdat.
19. Quæ falso confers in alios, verissima sunt, si tibi ipsi accommodes. Insignem enim te esse artificem calumniandi præclarum specimen exhibent tuæ pagellæ, quæ ex meris calumnijs conflatae sunt & compactæ.

ANNOTATIONES.

20. Falsas & iniustas criminationes dicis iustissimas reprehensiones. Egregia verò tua modestia satis apparet, dum peruertis, criminaris & calumniaris omnia.
21. Non luci tenebras offundunt, vt vos facitis, sed tenebris inferunt lucem: non, quæ perspicuè & explicatè sunt dicta, obscurant & inuoluunt, sed obscura illustrant, et inuoluta euoluunt ac explicant, quod facile vident, qui non debita opera in clara luce cæcutiunt.
22. Quib. morbis animus tuus sit corruptus, tua arrogantia probat, qua te extollis ipsum, et alios præ te despicias.
23. Hæc tam verè negari possunt, quam temerè & falso abs te affirmantur. Ex tuis actionib. elucet, vt timeas Deū, quàm ames veritatē, & quanto studio iuues veram inuocationem. Hoc quidem verum est, te ita inuocationem iuuare, quod fratres persequendo & graui iniuria afficiendo gemitus multorum contra te excitas.
24. 25. 26. Non placet vobis eruditis & Philosopho theologis, simplex minimeq. fucata Theologia. Quia non sapit eruditam vestram Philosophiam.
27. Si animus tuus candidus, & non niger esset, non hoc scripsisses.
28. Calumniare audacter: Scis aliquid hæere.
29. 30. Quòd hæc ipse attuleris, quando arripuisti calammum ad commaculandas chartas hisce calumnijs, maledictis & accusationibus falsis res ipsa loquitur.
31. Tu scilicet quid sit Sophistica nescis. Non

IN MOD. AGEN. STOSS:

32.33. Non est iniusta victoria cupiditas, id cupere ut
veritas vincat, & profligato mendacio penes verita-
tem stet victoria. φιλοεικία est in causa mala, quocunq;
modo victoriam quærerere.

34. Factionem esse calumniaris coniunctionem, con-
sensum & societatem in veræ doctrinæ confessione, &
falsæ refutatione. Tuum est figmentum, quod Docto-
res pulsati in exilium aliquid pravi moliti sint. A temet-
ipso confictis molitionibus te opposuisti, publicis scriptis
sunt refutatæ istæ tuæ delationes & Sycophantiæ sug-
gestionibus de pravis molitionibus. Loquuntur autem fa-
cta tua, quid molitus sis.

35.36. Viri sunt spectatæ
fidei & pietatis, nō sunt Sycophantiæ, quos ita traducis
36. Non perturbant Ecclesiarum concordiam. Nam
turbare malos & falsis dogmatibus contradicere, reue-
ra est stabilire, non turbare piam concordiam.

37. Calumnia est bonorum consensionem & coniunctio-
nem syncretismi siue coniurationis nomine infamare.

38. Non tumultuantur, non in te irruunt, sed tuis te
virtutibus ornant.

39. Ex tuis scriptis proferunt corruptelas, non affin-
gunt, collusionem cum Adiaphoristis et Synergistis, non
comminiscuntur, sed ex tuis historijs verè tibi obijciunt.

40. Scelerata hæc tua calumnia tantundem habet ve-
ri, quantum illa Iudæorum habuit, cum accusauerunt
Christum quod regnum affectasset, & dominationem
rapere voluisset.

Quem.

ANNOTATIONES.

41. Quemadmodum homines furiosi arripiunt, & manib. eiaculantur, quicquid est obuium: ita vndiq; arripis & eiacularis tela atrocissimarum calumniarum & conuiciorum, quibus vt obruas innocentes, nihil pensi habes, quid effutias: Dic vbi, quomodo, quando, in quem tyrannidem exerceant. Inspice tuas ipsius, tuorum q; sociorum historias, ibi inuenies, in quos accusatio de tyrannide competat.

42. Aliquoties repetis mendacium, Ecclesias opugnari, quasi non satis sit, semel tam impuro mendacio cartas contaminasse.

43. 44. 45. Multa quidem coaceruas crimina, quorum ne vnum quidem verum esse probare poteris vnquam. Quod si in authorem hæc retorqueant horum criminum insontes, & dicant, te his armis pugnare, num quid multum à vero aberrauerint?

46. Nihil veri habet hæc accusatio, quod non pugnent contra communes hostes. Aliud verum esse testantur aliquot libri editi contra Papistas, Sacramentarios & alios. Sunt autem communes hostes, quicumq; sinceram doctrinam aliquo fermento corrumpunt, et errores obstinate defendunt. Quam strenue verò vos pugnat in communes hostes, quoties & quam fortiter gladium verbi Dei stringitis in Semipelagianos et coniuratos Antichristi?

47. 48. 49. Satis experti sunt multi, qui eieci sunt ex Academia

IN MOD: AGEN: STOSS:

Academia & Ecclesijs, quàm sitis boni collegæ & amici, & quo affectu, quanta animorum moderatione impetum in eos feceritis.

50. Magna est vestra iniuria erga Ecclesiam, qui non parcitis fidelibus ministris Christi, nec erga Vxo- res & paruulos ipsorum liberos vlla misericordia affi- cimini,

51. Semper prætendis venerabile nomen Ecclesiæ falsis tuis accusationibus. Necessariæ sunt causæ con- tradicendi corruptelis cœlestis doctrinæ. Dilacerant Ecclesiam corruptelarum propugnatores non oppug- natores,

52. Tua verba recitant, & quem habent sensum exprimunt,

53. 54. 55. 56. 57. Non vtuntur malo artificio, non Sophisticè voculas quasdam contra mentem authoris contorquent & deprauant. Sed quæ falsa veris ad- misceas, quæ occultes, & quàm pulchrè tibi constes ostendunt. Modicum fermenti totam massam corrup- pit, & pauculæ guttæ veneni potum inficiunt. Mo- dico etiam errore occultato salutaris doctrina corrup- pitur.

58. Veritas vincit siue volentem, siue nolentem, & tandem de hostibus victis triumphat.

E

58. In

ANNOTATIONES.

59. In catalogum hæreticorum se asscribit, quis quis errores pertinaciter defendit.

60. Non est dogma Stoicorum, sed Prophetarum, CHRISTI & Apostolorum est doctrina, quod hominis voluntas auersa à Deo, ex se nihil coopertur boni in sui conuersione.

61. 62. Impudens est calumnia, quòd qui contradicunt Semipelagianis, non discernant inter hominem & truncum aut naturas brutas, etiamsi hominem carnalem comparent bruto vel lapidi vel equo & mulo. Non semel refutata est ista calumnia, sed os Diaboli ianuam non habet, quòd claudi possit. Tu verò Stofseti adeone truncum vel stipitem, vel brutum esse putas quenquam qui nesciat, quòd homo non sit truncus aut animal brutum? Nulla est de hac re controuersia, quòd homo differat à trunco, à lapide, à bruto animali, hoc autem venit in controuersiam, num mala & peruersa voluntas hominis ex se possit verbo Dei assentiri.

63. Negas ipse te voluntati hominis animalis tribuere vim & facultatem conuertendi. Hoc si verè negas, cur dicis insulsè, homini eripi vim & facultatem conuertendi? Si sentis eam facultatem voluntati hominis inesse, nulla tibi fit iniuria, si quis inter Semipelagianos tibi concedat locum. Si intelligis facultatem

tatem.

IN MOD: AGEN: STOSS:

tatem quæ datur à Deo, quis est, cum quo de re non
controuersa rixaris? quis est, qui negat Deum posse
conuertere auersam & rebellem voluntatem.

64. Deus dicit apud Ezechielem capite 36. Se
auferre cor lapideum & dare nouum. Hoc si reuocas
in disputationem, age cum Deo contendas, is tibi ali-
quando respondebit. Manet quidem substantia mali
cordis, sicut manet vetus homo: sed vt hic regeneratur
& fit nouus homo, ita cor nouum & mundum creat
Deus in ijs, qui conuertuntur. Nec tamen hinc sequi-
tur, etiamsi maneat voluntas sua substantia, quod cor
vel voluntas hominis habeat in se vim aliquam con-
uertendi & applicandi se ad gratiam. Hoc loco as-
scribam, quæ in disputatione Vinariensi & aliàs ad
hanc obiectionem M. Illyricus respondit. Illius ver-
ba leguntur in libro editæ disputationis Vinariensis,
folio 41.

Ego non concedo, quòd prima quæstio sit, an li-
berum arbitrium sit prorsus sublatum, vt nihil differat
à bruto. Nam dico hominem habere liberum arbi-
trium in regendis pecudibus, & alijs inferioribus: sed
habere erga Deum, & in motibus Spiritualibus, idq̃
ad bonum, id verò pernego.

E 2

Ipsa

ANNOTATIONES.

Fol. 43. Ipsa nostra substantia ex optima facta est pessima, & veluti fermentata Diabolico fermento.

Fol. 219. Manet quidem cor ipsa substantia eius, sed lapideum, non manet illa bonitas metalli aut essentiae, ut est initiò condita. Cor initiò fuit bonum & spirituale, mutatum est autem in cor lapideum, non quòd in verum & naturalem lapidem mutatum sit &c.

65. Mala fide calumniosè proponis eorum sententiam, qui docent, non esse ex corruptis viribus liberi arbitrij hominis velle & operari bonum, assentiri promissioni Dei: sed potius nolle & repugnare nisi Deus dat velle et perficere bonū. Hæc tu peruersè ita recitas, quòd doceant, hostiliter frementes & furentes & in fremitu perseuerantes conuerti. Hanc calumniam aliquoties diluit Illyricus in libro Vinariensis disputationis, & distinctè explicat de qua repugnantia loquatur fol: 97. Adiaphoristæ negant posse conuersionem fieri in homine, dum voluntas repugnat. Hæc est singularis amphibologia & singularis Sophistica. Potest enim dupliciter intelligi, vel sic, donec omnino repugnat, id est, dum nec proprium bonum velle habet, nec accipit á Deo donatum: & sic concedo. Vel potest etiam sic intelligi: Donec voluntas omnino repugnat, scilicet quod ad suum velle attinet,

IN MOD: AGEN: STOSS:

attinet, tunc nego sententiam, Non potest fieri conuer-
sio, donec voluntas omnino repugnat. Vera est igitur
sic intellecta, donec voluntas non vult assentiri neq; suo
animali velle, neq; diuinitus dato, impossibile est conuer-
ti hominem.

Fol. 131. Quæris undè probem Adamicam volun-
tatem furere. Respondeo: Satis est mihi illa vna sen-
tentia Pauli, Rom. 7. quòd etiam post conuersionem
Adamica voluntas furat & fremat contra legem
Dei, & rapiat Paulum sub legem peccati. Iam igitur
si post conuersionem vetus ille Adam adhuc fremit &
furit, cum iam factus imbecillior & tenuior: multò ma-
gis antea. Possem tibi exemplum vnum Act. 26. oppo-
nere, cum Paulus dicit se conuersum frementem & in-
sipientem contra Christum.

Ad argumentum Victorini.

Impossibile est sine consensu fieri conuersionem.
Impossibile est furentem consentire. Ergo,
Impossibilis est conuersio furentis & frementis. Re-
spondet Illyricus:

Distinguo maiorem & dico veram esse, si intelli-
gas de absentia omnis consensus tum innati, tum dona-
ti: sed de absentia consensus veteris Adami non est ve-
ra. Homo consentit data diuinitus fide, sed dissentit in-
nata veteris Adami malitia. Consentio, ait Paulus, sed

E 3

dicit

ANNOTATIONES

dicit secundum hominem nouum vel Spiritualem, non secundum veterem, Spiritu milito legi Dei, carne legi peccati.

Fol: 132. Necesse est esse consensum, sed est quaestio, Vnde? an ex veteri Adamo, an ex Deo? Nihil euincis quàm quòd sit necessarius consensus. Queritur vnde? Tu respondes, partim ex nobis, partim ex Deo.

Fol: 320. Respondet Illyricus ad hanc obiectionem: Vos docetis hominem debere perseuerare in diffidentia & fremitu contra Deum, donec sentiat se vi rapi et occigi. Impurissimum mendacium est.

Fol. 67. Non negatur, quin Deus nos conuertat volentes & intelligentes, non ex veteri Adamo, sed ex luce diuinitus accensa, donato bono velle per verbum & Spiritum Sanctum. Haectenus ille.

66. 67. Gnauius es impudens in mentiendo & calumniando. Profer vnum locum, vbi velint, quos tu sic traducis, semper & ordinariè homines conuerti aduersa fronte repugnantes ministerio. Ego tibi ex aliquot locis ostendere possum, quòd docent Deum ordinariè homines conuerti per ministeriũ verbi sui, ideoque verbum Dei esse audiendum, discendum & meditandum. Illyricus refutauit eandem calumniam obiectam à D. Maiore, cuius recitat tale figmentum. fol. 141.

Flacius

IN MOD. AGEN. STOSS:

Flacius eiusmodi esse exordium conuersionis nostrae somniat, repugnare Deo vocanti, & in furoribus aduersus ipsum perseuerare, & tamen iuxta consilium Dei violentis raptibus trahi & conuerti. Respondet Illyricus. Non Flacius tale quicquam somniat, sed Maior fingit & mentitur sine omni fronte, rubore & conscientia. Nihil tale vsquam in meis scriptis reperitur.

68. Affirmare, non esse in nobis ex nostra voluntate causam aliquam electionis, conuersionis & salutis, sicut in nobis & ex nobis est causa reiectionis & damnationis: non est Deum constituere authorem peccati, sed iusticiae & salutis authorem & datorem.

69, 70. Hec & multa alia absurda, quae D. Maior obiecit, satis refutata sunt in Vinariensi dissertatione de libero arbitrio, fol: 339, & 340.

71, 72. Non morosi sunt iudices, qui ex verbo DEI dijudicant, rejciunt ac damnant minimos etiam errores & quascunq; corruptelas doctrinae CHRISTI: An ultra triennium proclamatus sis Synergista, haereticus & Apostata non sine causa dubitari potest. Non est enim quisquam nominatim publice

ANNOTATIONES

publicè accusatus, cum in genere falsi Doctores sunt notati, & errores reprehensi. Quòd si nominatim aliquis te accusauit, vere nè id fecerit, an calumniosè, id tum demum fieret manifestum, si legitima cognitio institueretur, & vtriq; parti equa daretur accusandi, probandi & obiecta diluendi potestas.

73. Ex DE I verbo inquirunt in errores, & sententiam ferunt iam antè voce Dei latam. Quia autem non acquiescis veritati, necesse habent ad Synodi cognitionem prouocare.

74. 75. 76. 77. 78. Vt fingis stuporem & peruersitatem in iudicando, ita & falsas causas affingis. Ex tuis verbis rectè te iudicant accensi veritatis amore & studio, nullis præiudicijs, nisi quæ afferunt ex verbo Dei, præoccupati.

79. Quàm malè te habet esse probos discipulos, qui optimum præceptorem imitentur, eiusq; vestigijs insistant, quem si multi imitari dignarentur, minus turbarum & contentionum in Ecclesia haberemus. Doctrina autem Lutheri de Libero arbitrio, de peccato originali, de discrimine legis & Euangelij inter εἴρηα non inter πᾶρεσ γα Lutheri est ponenda, quam doctrinam discipuli cupiunt integram conseruare.

80. 81. Non induti larua Lutheri fucum faciunt simplicibus

IN MOD:AGEN.STOSS:

plicibus & imperitis, sed illius armis muniti simplices fideliter monuerunt, ut à Pseudoapostolis cauerent sibi, & constantes in eius doctrina permanerent. Arma igitur Lutheri, quàm laruam, detrabere malles.

82. Nihil vsquam est tam sanctum, tam religiosum & diuinum, quod sit tutum à calumnia. Reprehendis Zelum, quem dicta & facta ex Deo esse testantur. Habere pium Zelum pro veritate & Ecclesia Christi, est tibi intumescere zelo. Prodesse Ecclesie & auertere damna, est tibi nocere & damnum inferre. Quid est mirum in paucis superesse zelum Dei, cum Caluinus, Stosselius & similes pio aliquo zelo praeditos pessimè deformant.

83. Non potes nominare quenquam, qui suo & Ecclesie malo discat animaduertere malum zelum, nisi eos producere velis, qui à te tuisq; socijs sint fascinati & miserè seducti.

84. Cæcutientibus tuis oculis videtur esse praetextus constantiae, quæ vera est constantia, tam in defensione, quàm in confessione incorruptæ doctrinae. Si veluti arundo huc illuc sese inflecterent pij confesores, eximiae virtutis laudem apud te haberent.

85.99. Quibus antè venerabile nomen Lutheri oculos aperuerat, ijs calumnia suis praestigijs plerisq; obscurauit.

F

Quàm

ANNOTATIONES.

87.88. Quàm artificiosè dissimulas, quid reprehendant. Non te flagellant propter phrasin, sed te redarguunt, quòd doctrinam de libero arbitrio perspicuè illustratam obscuras, & tuo modo agendi Synergiam Victorini suffulcis. Si nec authorem nec propugnatorem nouæ phrasin te profiteris, cur tot glossas addis, & tuum modum loquendi defendis? Cur adiutor fuisti in pellendis tuis comministris, qui noluerunt cothurnum Victorini induere, & multis de causis recusauerunt ambigua & perplexa formulæ concordia subscribere?

89. In facie primæ paginæ sui libri apposuerunt Apostoli dictum. Depositum custodi. Quòd si alibi dicunt de suo studio conseruandi depositum, quod acceperunt à viro Dei Luthero, modestè, hoc faciunt, nusquam thraconicè de se gloriantur.

90. Perinde facis, vt qui facibus subiectis incendunt domos, & postea alios accendisse clamant. Dissidia faciunt, qui ignem pestilentis doctrinæ vel accendunt, vel fouent & excitant, non qui extinguere, & opprimere conantur.

91.92.93. Quid suspensum tenes lectorem? Cur non profers nominatim quæ sint illæ ambigua & improprie loquendi voces, quæ sint propositiones monstrosæ, quæ horrenda paradoxa ab antinomis, & alijs sparsa, quæ
tui.

IN MOD: AGEN: STOSS:

tui Antagonistæ tolerant, & quib. σοφά φάρμακα affina-
gant. Cum proferes nominatim responsum dignum acci-
pies, Vide autem ne inter monstrosas propositiones &
horrenda dogmata numeres, quæ à viro Dei verè dicta
sunt, & quæ facilè ille defendisset, si à te vel alijs, ipso
viuente, impugnata fuissent.

94.95.96. Nihil mirum cuiquam videri debet,
discipulos de λογομαχίας, φιλονεικίας & contradicendi
studio accusari, cum Præceptor ipse Lutherus post o-
bitum suum ita sit à quibusdam infamatus.

97. Cum Zelo furere pronuncies viros timore
Dei & sancto Zelo præditos, non abs re dubitari po-
test, num ipse sis sobrius & sanæ mentis.

98. Monstra locum vnum, si potes, ubi tui An-
tagonistæ hoc modo argumententur. Abs te conficta
est hæc argumentatio, & in illos translata, vt suspe-
ctos reddas & exosos, quasi contendant Spiritum
Sanctum non per ministerium regulariter homines con-
uertere & regenerare, & hominem accepto Spiritu
Sancto esse statuum, qui non sentiat novos motus. Con-
ciones illorum & publica scripta contra tuum figmen-
tum testimonium dicunt, & te Vanitatis conuincunt.

ANNOTATIONES,

99. Est etiam hæc tua argumentatio ex tuis mendacijs & falsis criminationibus conflata. Mentiris enim Theologos in exilium eiectos, esse seditiosam & inquietissimam factionem, consilia, censuras & reprehensiones illorum ad malum finem spectare. Et non minus improbè, quam vanè gloriaris, te prætextum, seditiosæ factionis detexisse, arcem causæ inuasisse (ò præclarum victorem) & ostendisse, quò ipsorum consilia tenderent. Prædicas in tuam ipsius infamiam, quæ satius erat silentio tegere. Sed sic oportet cogitationes ex multorum cordibus reuelari. Lucæ 2.

100. 101. 102. Ex quolibet fit quidlibet, Ex falsis præmissis nihil nisi falsum sequi potest. Sunt falsa & vana tua figmenta in præmissis, nihil ergo veri habent, quæ indè inferis. Quòd ratio argumentandi, quam ipsis falsò attribuis, sit classicum ad populum, & caput Gorgonis, quo conspecto multi vertuntur in Scopulos, noua hæc est metamorphosis noui Poetæ, digna quæ inter Ouidij metamorphoses & Luciani fabulas habeat primum locum.

103. Tantundem habet veri hæc accusatio, quod odium omnium ordinum aduersus Academias, earumq; professores incendant. Inspice in tuum ipsius sinum, & quid in vicinos moliaris, scrutare. Si tibi imputes, quæ alijs falsò imponis, non multum aberraueris á vero.

Non

IN MOD: AGEN: STOSS:

104. Non se constituunt generales reformatores Ecclesiarum, etiamsi errores grassantes per Ecclesias monstrent ac refutent, & de ijs cauendis alios admo-
neant. Inquirere in hæreses easq; damnare non est peccatum, nec cuiquam vitio vertendum, si hoc faciat, etiamsi Papistæ non ita, vt debent, in hæreticos inqui-
rant secundum normam Verbi Dei.

105. Contradicere cuius liberum relinquunt, pro-
hibent nemini: sed ita calumniari, maledicere, & pro-
scindere conuicijs, quemadmodum facis in tuis pagellis,
nemini tutum est sub pœna anathematis & æternæ dam-
nationis. Nam calumniatores, maledici & conuiciato-
res regnum Dei non possidebunt.

106. Agatur causa argumentis, abstine à maledi-
ctis, omitte conuicia. Experieris sanè illis non deesse ar-
gumenta, quibus tu destitutus, pagellas tuas calumnijs
& criminationibus falsis repleuisti. Certè hæc ipsa re-
futatio, quæ te adeò commouit, documento est, illis ar-
ma, animos & robur non deesse.

107. Nemini maledicunt, neminem execrantur,
sed detestantur errores & Dei comminationes denun-
ciant ijs, qui Veritati præfactè reluctantur & recla-
mant.

108, 109. Hoc loco non distinguis prohibitionem
priuati iudicij de conseruis, à publico iudicio ministerij
Ecclesiae.

ANNOTATIONES,

Ecclesiastici. Scripturæ quæ prohibent temerè iudicare de conseruis, qui sunt infirmi & sanabiles, eò à te detorquentur, quòd ministri Ecclesiæ non debeant iudicare & condemnare pertinaces defensores errorũ, sed expectare diem iudicij vniuersalis.

II0. III. II2. II3. Si expenderes apud animum tuũ in vero timore Dei, quàm sit graue accusare de blasphemia, de abusu nominis Dei, de falso testimonio contra benè meritos, non ita infamares innocentes, quòd sint blasphemii zelotæ, quòd fœdè abutantur sanctissimo nomine Dei, & optimè de Ecclesia Dei meritos onerent falso testimonio. Incumbit tibi non leue onus, vt tam atroces accusationes veris probationibus confirmes. Id si non feceris, vt quidem nunquam facere poteris, ipse te grauissimis peccatis inuoluis, & iusta damnatione implicas.

II4. II5. & c. Homines esse reddituros rationem de quouis verbo ocioso, quod locuti fuerint, & reum esse gehennæ, qui fratri suo conuicia dixerit, vidèris parum meminisse. Nam si memor esses, & seriò de reddenda ratione cogitares, non ita, vt facis, conquirereres vndiq; & congereres atrocissimas criminationes, quales fermè viginti in vno loco coaceruasti. Quòd si satis est ita accusasse, & crimina quælibet congesse, quis erit innocens? Sic poterit etiam scurra & Diabolus ipse esse facundus, nec esset quisquã tam bonus, tam pius, tam sanctus,

IN MOD:AGENSTOSS:

Etus, tam deniq, ab omni crimine alienus, qui non calumnijs & falsis accusationibus obruatur. Quis autem sinat sibi persuaderi? quis tam stultè credulus sit, etiam inter tuos applausores & assentatores, qui tibi adhibeat fidē, & credat in non paucos Pastores & Oeconomos Ecclesie Dei cadere tot scelera notoria, quot breui spatio cartæ congesisti? Haberetur fortassis fides tibi parcius aliquantò & verecundius calumnianti et criminanti. Iā ipse tibi adimis omnē fidem, qui totum scriptū, idq, breue, multis diris criminationib. & calumnijs quasi stipasti.

121. Domino Christo homines subijci & seruire cupiunt, non volunt, ut quisquam ipsorum sit mancipium.

124. Nunquam fidem facies cuiquam, nisi tuo agatur Spiritu, religionis & Zeli prætextu vllas malas practicas ab illis, quos accusas, susceptas esse.

125. Tunè cum tuis sodalibus doles, an gaudes potius de piorum virorum, qui tua mancipia esse noluerunt, calamitate, miserijs & ærumnis? Est sancta læticia piorum de iusta vindicta Dei in hostes Ecclesie, de qua dicitur Psal: 58. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Hæc lætitia fortassis à tuo candore iudicatur esse ἡ τὴν ἀπειθεσίαν.

126. De primatu & supremo Magisterio non est illis certamen. Sciunt vnum esse supremum magistrum & Doctorem, quem pater æternus audire iussit. Eius
magisterio

ANNOTATIONES.

magisterio omnes subdi & parere cupiunt. Quid vos affectetis illud declarat, quod vestros Magistros, & Præceptores tollitis in altum, cum alij contendant, quod vnus Magister Christus-audiendus, & omnibus Doctores & Magistris sit præferendus: nec sint audiendi, si qui vel in minimo illius summi Doctoris verbis contradicunt.

129. Hæc de indulgentia erga conuictos tum demum vera erunt, si facias inuersionem, & ad eos, qui vobis sunt obstricti, accommodes.

130. Magnas scilicet habent dignitates, ad quas prouehunt suos clientes. Vobis sunt impudentissimi, qui audent aliquid pro Christo: & ijdem habentur à vobis sceleratissimi, sicut Christus inter sceleratos reputatus est, atq; impletur in membris, quod in capite Christo impletum est, Esaia 53.

131. Pro vestra sapientia scitis omnia ita moderari, vt placeatis omnibus, vt habeatis regnum, gratiam & pacem mundi. Superiobus annis sapientes quidam eam in religione adhibuerunt moderationem, vt parum abfuerit, vt Ecclesia cœlestem & incomparabilem thesaurum renouatæ doctrinæ amitteret. Quid vestra moderatione sit effectum, non tacent historie vestræ.

Violenta

IN MOD: AGEN: STOSS:

132. *Violenta dicis consilia, quæ recta insistant
via, nec deflectunt à norma Verbi Dei, nec ad carnis
sapiantiam attemperantur. Si violenta intelligis, quæ
vim spectent & vi percurrunt armata, aliorum consi-
lia sic collaudes, non sic infames consilia Theologorum,
quæ dant ex Verbi Dei salutaria & pacifica. Vos Mi-
tiones præpostere mites estis duris, mitibus verò duri
& asperi, miscetis lucem cum tenebris, & contra lupos
estis canes muti.*

*Si præcepta Apostolica subijceretis eodem sensu,
quo Apostolus Petrus & Paulus præcipiunt: Sapere
ad modestiam: Et illud Petri, Præstate in virtute scia-
entiam, non recusarent ea amplecti & sequi. Sunt au-
tem aliæ causæ, cur malè audias, quàm ea est, quæ à te,
inducitur. Non audis Adiaphorista, Synergista, quia
mones sapere ad modestiam, sed quia amicus patronus
& adiutor es illis, quibus antea te opposuisti.*

133. *Flacius non protulit, neq; approbavit aliud E-
uangelium, quàm ab Apostolis Ecclesia accepit. Quàm
facile est effutire impudenter eiusmodi calumniam,
tam est tibi difficile, imò impossibile probare, quòd
Flacius aliam doctrinam proferat, præter eam de qua
Apostolus dicit: Si quis aliud Euangelium prædicaue-
rit, quàm ab Apostolis est prædicatum anathema sit.
Quàm verè Hosius, Staphilus & alij calumniatores ac-
cusant Lutherum novum Euangelium protulisse, tam*

G

vera

ANNOTATIONES.

Vera est hæc tua accusatio de nouo Euangelio Flacij. Retinet Lutheri doctrinam eamq̃ defendit. Ergone Lutherus protulit nouum Euangelium, si noua est doctrina, quam discipuli profitentur.

134. Ex tuis fructib. cognosce, qualis sis arbor: ex tuis operibus bonis proba tuum Spiritum, quam sis bonus.

135. Quantopere laboras, vt detrahas eis Lutheri zelum, verum ne frustra te fatiges hanc conditionem à nobis accipe. Credemus tibi, non agitari eos Lutheri zelo, si probaueris eos non habere zelum secundum scientiam, hoc est, secundum verbū Dei pro Christo eiusq̃ Ecclesia, contra Antichristum & Sathanae errores ac mendacia pro veritate, & non habere Spiritum Dei. De his si non feceris fidem veris & firmis demonstrationibus, nunquam tibi credemus, etiam si plus millies clames, quòd non sit in eis Lutheri zelus.

136. Sunt in multis locis illorum & omnium timentium Deum Socij, qui scholas & Ecclesias saluas cupiunt. Experientia te mendacij redarguit, Stant enim scholæ & Ecclesie, & florent apud eos, qui sancta ipsorum societate sunt deuincti. A quib. autem & vbi scholæ sint euerse, bene nouisti, si id ignoras, disce ab illis qui sciunt.

137. Vobis candidis omnia sunt candida, etiam nigra in candida vertitis, & candida in nigra. Præclare verò tuus candor in hoc tuo candido scripto elucet.

Væ

IN MOD: AGEN: STOSS:

138. *Vae vobis, qui estis prudentes apud vosmet ipsos. Habete vobis laudem vestram cum filiis huius seculi, qui sunt prudentiores quam filij lucis in sua generatione*

139. *Neceffe est multum sibi arroget, & magnifice de se sentiat, alijs qui adimit omnia: & sibi solus sapit, solus intelligit omnia, de quo verè dici potest. Facit nae intelligendo, vt nihil intelligat.*

140. *Hæc vestra sunt aucupia apud vestrum theatrum.*

141. *Præclara tua facinora ostendunt, quam probè discernas inter ciues et hostes. Neq; verè discernis inter ciues bonos & fidos, & inter malos & perfidos, qui externis hostibus sunt deteriores.*

142. *Non collegarum rectè dicta deprauant, neq; plausum captant: sed hypocritarum malè, & insidiosè dicta detegunt, falsa dogmata conuellunt, vt veritas maneat salua, & Christo suus honos constet.*

143. 144. *Alijs imponis, quæ tu ipse facis. Non virulenter insectantur viros bonos, non seditiosa moliuntur: sed qui virulenta reuera effundunt, & quæ non sunt piæ pacis, machinantur, ex officio charitatis admonent, vt resipiscant.*

145. 146. 147. *Hic tandem semel adducit scripturam, & insigne specimen præbet, quam sit bonus interpret scripturæ, quantus artifex accommodandi, hoc est, peruertendi scripturam, eaq; pro libidine abutendi. Simeon & Leui gladio grassati sunt in Sichimitas dolo &*

ANNO: IN MOD: AGEN. STOSS:

fraude deceptos, & Iosephum suum fratrem vendiderunt. Ideo Iacobus pater maledixit eis. Hęc maledictio nę Stosseli in te verius competere fateberis, si tua facta propius consideres, quam vt vnquam probare possis, verę in viros alienos ab omni sæuitia & Tyrannide conuenire.

148. Te Stosseli tuis coloribus expressisti, quis & qualis sis intus & in cute. Ex abundantia enim cordis os loquitur, Homo malus mala depromit ex thesauro cordis sui. Et vnusquisq; ex verbis suis iustificatur & condemnatur.

149. Deus aperiat oculos, quibus es in delicijs, vt videant aliquando, quis sit, quem in sinu fouent. Quam verõ dolet tibi superesse, qui fidelibus ministris hospitia præbent. Malles ex omnibus locis eijci, adeo sunt tibi piorum exilia iucunda. Sed Deus ciuibus Ecclesie sue alicubi præsepe & stabulum dabit.

Errata sic corrige.

A 3 fac. 1. lin. 12. lege adornauit.

B 2. fac. 2. lin. 1. sit.

B 3. fac. 2. lin. 25. liberalitate.

B 4. fac. 2. lin. 1. maledicum. lin. 4. ibid: lege ambi-

C 2. fac. 1. lin. penul. argumententur. (tione.

C 3. fac. 1. lin. 10. nullus.

E 3 fac. 2. lin. 10. cogi.

FINIS.

5 e.

AD APOLOGIAM
D. Doctoris Iohan. Stoffelñ.

PROPOSITIONES
D. DOCTORIS IO^h
ACHIMI MORLINI EX
EADEM APOLOGIA,

Pfalm. 119.

Iniquos odio habui & legem tuam dilexi. Socius
autem sum omnium timentium te, & custodi-
entium mandata tua.

ISLEBIÆ

Excudebatur per Andream Petri.

AD APOLOGIAM D. DOCTO-
RIS STOSSELII.

PROPOSITIONES D. DOCTORIS
IOACHIMI MORLINI EX EADEM
Apologia.

I.

Esse differentiam inter naturam Rationalem & Brutam, etiam brutis & truncis manifestum, adeoque nunquam disceptatum est.

II.

Spiritum sanctum tantum per Verbum efficacem esse & non aliter, nemo nisi desperatae conscientiae negabit.

III.

Et hominem statuum esse post acceptum Spiritum Sanctum, non sentire novos motus, non assentiri promissioni, illi solum dicunt, qui dicunt Conuersionem esse nihil.

IV.

Sed haec vocabulis illis ambiguis, Modus agendi, Capacitas, Aptitudo, etc. definiri proprie ac solide, nemo dicit, nisi qui ex vno ore sufflare didicit calidum & frigidum.

V.

Ideo his vocibus communem Ecclesiarum Concordiam stabiliri, etiam illi non credunt, qui buccis sonantibus ac tumida & inflata oratione nihil nisi totos mundos crepant, ut hoc persuadeant alijs.

Fatetur

V I.

Fatetur Stoffelius ingenuè & apertè, se hanc ipsam ob causam, ab usu harum vocum prorsus (si Dijs placet) abstinere, Ne captiosis & flexiloquis formulis ludere in Ecclesia, ne veram Doctrinam inuoluere videatur, & vt obtemperet præcepto Paulino, qui præcipit vitare ambiguitates & λογολαχίας.

V I I.

Ergo fatetur captiosas esse, aptas ad inuoluendam doctrinam, & ludos agendi in Ecclesia Christi has Voces, Non esse formam sanorum verborum, non perspicuos, & Prophetis ac Apostolis vsitatos modos loquendi, sed ambiguitates & λογολαχίας.

V I I I.

Non ergo vrgendas, non obtrudendas Ecclesijs, non subscriptione cõfirmandas, Sed Dei mandato, sub periculo salutis & vitæ æternæ fugiendas, vitandas & proscribendas.

I X.

Nisi velit Stoffelius sine periculo Dei mandata violari.

X.

Aut sine conscientia tanquam non mandata Diuina Paulina præcepta videri, vel saltem non haberi in loco suo.

X I.

Quomodo igitur voces illæ ad stabiliendam Concordiam in Ecclesia faciant, non tantum facilè est cogitare, Sed vsus artifex & rerum omnium Magister, euidentissima

tissima oculari demonstratione hoc probat.

XII.

Ea enim quæ hætenus erant pacata, & cum magna laude coniunctissima nunc foede lacerata ac dissipata sunt, Et incendium priuatum inter personas non multas, vniuersæ Ecclesiæ illatum est.

XIII.

Vt quod hætenus etiam in extremis periculis rerum omnium non potuit Sathan per tyrannos & manifestos hostes, hoc nunc per Domesticos, imò speculatores & Pastores nostros (Mercenarios inquit Christus) efficiat, magno scandalo, summo detrimento & incredibili multarum conscientiarum iactura.

XIIII.

Hoc scilicet est aduersus professos & externos hostes dimicare, collegas in eadem vera Ecclesia placidè sanare, non exercere vim aut sæuitiam in quenquam, sed pacificos esse.

XV.

Prorsus sicut Sathan est pacificatissimus, iuxta illud: Mollius Butyro os eius, & leniores sermones eius oleo, etc. Psalm. 55.

XVI.

Nil iuuat Doctorem Stoffelium, quòd multa contentione ad rauim usq; clamitat, superioribus vocibus additas à se esse & cõiuratis pulchras & concinnas declaratiunculas.

Respon-

XVI.

Respondetur enim viro quasi fulmine ad omnia, ex
lata sententia Stoffelij & seверо Dei mandato, voces esse:

- I. Captiosas,
- II. Flexiloquas,
- III. Aptas ad ludificandam Ecclesiam,
- IIII. Ad inuoluendam puram doctrinam Dei benefi-
cio & multo sudore ac labore Lutheri restitutam.
- V. Non esse formam sanorum verborum,
- VI. Non perspicuum,
- VII. Non vsitatum modum loquendi Prophetis &
Apostolis,
- VIII. Sed ambiguitates &c.
- IX. *λογομαχίας*.

XVIII.

Id est, insidiosas. voces Diaboli, nulla declaratione in
periculo tam manifesto, nisi à Diaboli mancipijs, pingendas,
fucandas & incrustandas, Sed vitandas, fugiendas, & pro-
cul extra Ecclesiam remittendas ad Luciani discipulos, qui
Religionem Christianam in cute & corde pro dulci fabula
aut bona phantasia habent, quicquid ore profiteantur quo-
cunq; prætextu.

XIX.

Nunc quare Stoffelius & manipulares sui contrarium
fecerunt, vt scilicet Potentiam & Dominatum suum ma-
gnosupercilio ostentarent in clero contra præceptum Pe-
tri.

tri. Quā conscientia hoc fecerint, ipsi viderint, redditori de hoc rationes iusto Iudici in illo die.

X X.

Certè nulla moueri Ecclesiæ afflictissimæ misericordia quæ est Saucium & ægrum corpus, Sed eius vulnera magis vel ambitione, vel priuato odio, aut ad ingenioli ostentationem hostili ac Diabolica reformatione lacerare, etiam Stofselij iudicio magna est & immanis crudelitas.

X X I.

Nunquam autem satis laudata est, virtus & constantia præstantium illorum virorum, qui excelsio animo cum paruulis liberis maluerunt migrare in Exilium, quàm harum ambiguarum & infidiosarum Vocum subscriptione proditores fieri Veritatis & Ecclesiarum suarum.

X X I I.

Nec erat hoc vllis factiosis consilijs ac molitionibus, sed Spiritus S. peculiari gubernationi adscribendum.

X X I I I.

Cum probi, cum boni coeunt, cum pij cum casti congregantur, non est Factio dicenda, inquit Tertullianus, contra Gentes, sed Curia.

X X I I I I.

At contra, inquit, illis nomen Factionum accommo-
dandū est, qui in odium bonorum & proborum conspirant.

X X V.

Et Augustinus in eodem argumento, contra Iulianum,
Pelagia

bd

Handwritten scribbles at the top left.

354148

Originalman
Dresden. 18...

Vertical scribbles on the left side.

[I]



o l a m l w e l a z i



Handwritten mark or signature.

Handwritten symbol, possibly a stylized 'f' or a similar character.

ULB Halle 3
004 839 072
Barcode

Handwritten scribbles at the bottom right.



d. 4

ANNOTATIONES
 IN IOHANNIS
 STOSSELIIMODVM AGENDI,
 ET BREVIS CONFVTATIO
 Calumniarum, quibus falso nomi-
 natam Apologiam suam
 repleuit.

*Per Theologum quendam in Saxo-
 nia inferiori,
 M. Ioach. Westphalum Ham-
 burgensem.*

PSAL: XCIIII.

*Non derelinquet IEHOVA populum suum, & here-
 ditatem suam non derelinquet.
 Nam tandem vsq; ad iustitiam, reuertetur iudicium, &
 post illam omnes recti corde.*

ISLEBII.
 Excudebat Vrbanus Gubisius.

ANNO M. D. LXVI

